

SECVLUM  
XII.

*domino Theodorico pernobili comite Montis Peligardi istud cœnobium ordinis S. Benedicti, cuius primo abbati Berchtoldo anno 1116. illustrissimus princeps Fridericus dux Sueviæ cum uxore Iudentha & coherede suo comite Petro donavit prædia, quæ intus & extra forestam, quæ sancta nuncupatur, possidebat, ubi corporaliter quiescit. Obiit anno 1146. Fridericus hic Sueviæ dux pater erat Friderici I. imperatoris, Iudentha vero sive Iuditha eius uxor Henrici Nigri Baviariæ ducis filia. Foundationis vero huius a comite Monte Belgardensi factæ meminit etiam Trithemius: in quo monasterio, ait, monachos sub norma S. Benedicti & imperio abbatis Domino militantes continue collocavit, nulla tamen facta missionis cuiusdam ex Hirsaugia mentione. Iam vero prius dixerat, ad Walpurgense istud cœnobium e congregatione Hirsaugiensi missum fuisse Wolframum abbatem cum duodecim monachis sub abbate Brunone Hirsaugiensi, qui eidem monasterio ab an. 1106. usque 1120. præfuerit.*

*Chron. Hirf.*  
*T. I. p. 393.*

*L. c. p. 280.*

Deceptum hic fuisse putamus Trithemium, eumque secutos Galliæ christianæ scriptores, qui Bertholdum I. inter & II. quem e S. Blasio accersitum fatentur, medium ponunt Wolframum a Brunone Hirsaugiensi illuc cum duodecim monachis missum. Nec enim Hirsaugiensis hæc missio ante an. 1116. fieri potuit, quum Bertholdus eodem an. in citata inscriptione *primus* dicatur huius monasterii abbas: Bruno autem Hirsaugiensis, sub quo Wolframum missum perhibet Trithemius, iam an. 1120. obiit, & an. 1125. ineunte Bertholdus rursus memoratur *abbas S. Walburgæ* in charta immunitatis Henrici V. Imp. VI. Idus Ianuarii data pro immunitate S. Blasii apud Herrgottum. Locus igitur haud fuit Wolframo eiusque coloniae ex Hirsaugia evocatæ, nisi admittere contra omnem veri speciem velimus, intra octo vel novem annorum spatium tres abbates & duas monachorum colonias, & ex diversis quidem monasteriis in dictum S. Walburgæ cœnobium esse adductas. Immo iisdem argumentis, ne duos quidem Bertholdos abbates admittendos censemus, contra ac sentiunt Sammarthani in Gallia christiana, Trithemii Wolframum inter annos 1106. & 1120. abbatem statuentis testimonio decepti. Bertholdum igitur istum primum Walpurgensem abbatem eundem esse arbitramur, qui in citata Henrici V. charta an. 1125. occurrit testis inter illos abbates, qui plerique e S. Blasio in alia regenda monasteria fuere transmissi, ut infra rursus demonstrabimus.

*Geneal. Habs.*  
*T. II. P. I.*  
*pag. 140.*

*L. cit. p. 836.* In eadem Gallia christiana Bertholdi successor memoratur *Eberhardus monachus S. Blasii, dein S. Walburgæ æconomus, abbas tandem renuntiatur an. 1186. qui postmodum etiam Hobenburgense monialium S. Odiliæ amplissimum cœnobium regendum suscepit.* Similia fere habentur in citato

MS.